Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1007

Quelle:
Copyright:



fanaeque antiquitatis cognitione non aſpernanda pollet et hebraei, graecique ſermonis non penitus expers eſt. Ad C. VI. *Lib. II. Sam.* v. 5. de *Lyrae* inventione haec tradit: *Cum regrediens nylus in ſuos meatus uaria in campis reliquiſſet animalia, relicta etiam teſtudo. Quæ cum putrefacta eſſet et nerui ei remanſiſſent extenti intra corium, percuſſa a mercurio ſonitum dedit*, quae leguntur apud *Servium* in 4. *Georgic. Virg.* Ad III. *Reg.* C. X. v. 22. de Pavone *Martialis* Epigramma 70. L. XIII. citat. Ad *Pſ.* LXXVII. v. 63. ſic commentatur: *Lamenta dicta ſunt intra lares monumenta, ſicut antiquis ſepelire mos erat.* Tum longum ſubdit *Siglarum* latinarum catalogum, paucis exceptis, ex Literis I. K. L. et M. apud *M. Val. Probum* depromtum. Ad initium Gloſſae in *Eccleſiaſten* haec legas de differentia Subſtantiarum et Subſiſtentiarum, quas, ut ait, Graeci Ουσιας et Υποστασεις vocant: *Quidam etenim dicebant ſubſiſtentiam. et ſubſtantiam unum uideri. et quod tres ſubſtantias dicere debeamus. Alii uero quibus longe aliud ſubſtantia. quam ſubſiſtentia ſignificare uidebatur. dicebant quia ſubſtantia ipſam rei alicuius naturam rationemque, qua conſtat, deſignet, ſubſiſtentia autem uniuſcuiusque perſone hoc ipſum, quod extat et ſubſiſtit, oſtendat. Ideoque propter ſabellii hereſim tres eſſe ſubſiſtentias confitendas, quod quaſi tres ſubſiſtentes perſonas ſignificare uideretur. Ne ſuſpicionem daremus. tamquam illius fidei ſectatores, que trinitatem in nominibus tantum et non in rebus ac ſubſiſtentiis confitetur.* Ad nomen idoli *Remphan Actor.* VII. v. 43. haec notat: *ſignificat Luciferum. cuius cultui ſaracenorum gens ob honorem ueneris* erat *mancipata.* Unde colligere licet, gentem hanc Autoris aevo jam *Mohammedis* inſtituta ſecutam fuiſſe. Confer, ſi lubet, *Cod. cit.* LXIV. ubi in *Rabanum Maurum* inclino.

IV. *fol.* 162. Fragmentum *Epiſtolae Senecae ad Paulum*, quae in *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* p. 900. eſt numero XI. cum integris binis, quae *l. cit.* ſunt XIII. et XIV. Ex quo adparet, cum fine praecedentis *Gloſſae* etiam initium harum *Epiſtolarum* e Codice intercidiſſe. Vide, quae in earum νοθειαν commentatur doctiſſimus *Fabricius l. cit.* et P. III. p. 710. In *Codice* lectio corruptior eſt, quam in editis. Adhaeret Enumeratio *Fortium Davidis* ex II. *Reg.* c. 23. ad cujus calcem legitur: *Explicit liber feliciter. Cuiusque Operis finem* (finis) *uenit. Premium finem non habet.*

V. *fol.* 163. alia aeque antiqua manu: *Sermo Sancti Auguſtini De Ebrietate.* Initium: *Frequenter caritatem ueſtram fratres paterna pietate admonui* &c. Extat in *append.* T. V. *Opp. Pariſ.* 1683. *col.* 493. f. ſed. eſt *Caeſarii Arelat.* et legitur inter ejus Homilias *Bibl. PP. Lugd.* T. XXVII. p. 329.

VI.